



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

401. An Coadiutor residere possit interressendo divinis & deservire in ecclesia, & lucrari fructus Coadjuto excommunicato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

vel *presidentis officium*. Fagn. n. 21. suaderetur & inde, quod Prælatus talis Coadjutor retineat in habitu potestatem & jurisdictionem; ac sic frustra eam retineret, si causâ suadente, illius usum non haberet juxta illud Philosophi. 3. *metaph. c. 1.* frustra est potentia seu habitus, qui non potest in ullis casibus reduci ad actum, Fagn. *loc. cit.* Denique non permittit id reverentia debita Prælato Coadjuto, ut eodem invito omnia possit expedire Coadjutor, in quem translata non est penitus jurisdictio quod ad habitum; sed cui solum communicata quod ad exercitium, Fagn. n. 23.

2. Neque his obstat *primò c. 42. de elect. in 6.* ubi dicitur is, cui *procuratio seu administratio cathedralis Ecclesia plena & libera in spiritualibus & temporalibus à sede apostolica est commissâ, potest omnia, qua jurisdictionis episcopalis existunt, & qua potest electus exequi, confirmatus liberè exercere &c.* Nam ut patet, non loquitur de Coadjutore. Fagn. *loc. cit. n. 24.* Nec obstat *secundò* verba illa generalia in Bulla Coadjutoriz apponi solita: *cum plena & libera potestate; quia, ut rectè Fagn. cit. n. 24.* restringuntur ad ea, quæ de jure vel consuetudine pertinent ad Coadjutoris officium. Nec denique obstat, quod Coadjutor etiam detur invito; id enim non auget potestatem Coadjutoris. Fagn. *loc. cit.*

3. Atque ex his jam infertur, Coadjutorem talem perpetuum datum tali Episcopo cum facultate plena & omnimoda in spiritualibus, & temporalibus administrandi ea omnia, quæ ad officium Coadjutoris spectant, minimè posse se immiscere in exercitiis pontificalium, neque jurisdictionalium, quibus defungi potest vel vult Episcopus, nec solum ea expedire, in quibus ex rationabili causa contradicit Episcopus. Fagn. *cit. n. 24. in fine.* Quamvis ea, quæ Episcopo impedito, potest & vult expedire Coadjutor per seipsum, Episcopus non possit delegare alteri. Fagn. n. 25. Similiter quæ Coadjutor in casibus sibi à jure vel consuetudine permittis gessit, Episcopus non possit revocare. Fagn. n. 26.

Quæstio 400. An Coadjutor exercere possit officia, ad quæ electus Coadjutor.

1. **R**esp. negativè Castrop. *cit. p. 10. n. 17. in fine.* Remouch. *c. 15. n. 17.* Barbof. *jur. eccl. l. 3. c. 10. n. 81.* citans Garc. *in addit. ad n. 88. c. 5. p. 4.* In his enim, quæ speciali nominatione competunt Coadjuto, non venit Coadjutor, aut eum representat. Barbof. *loc. cit.* Multò minùs itaque commissio facta dignitati potest transire in ejus Coadjutorem; idque non solum, ubi expressum fuit nomen proprium Coadjuti Prælati seu constituti in dignitate illa; sed etiam ubi illud non expressum. Barbof. *loc. cit. n. 73.* citans Garciam *ubi ante post n. 130. dub. 28.*

2. An vero aliunde Coadjutor nequeat esse Judex Apostolicus seu delegatus Papæ, vel designari Judex synodalis; quia nimirum Coadjutoria non est verè dignitas, & Coadjutor Prælatus vel Canoniceus, licet sit in servitio Ecclesiæ, adeoque non habet qualitates requisitas *vi cap. statutum. de rescrip. in 6.* ad talem delegationem. in eo, inquam, non conveniunt AA. Negant id ipsium ob dictam rationem Barbof. & Garc. *ll. cit.* E contra affirmat Acosta de Andrada *ad Bulla cruciat. q. 75.* cui adhæret Castrop. *tract. 3. d. 1. p. 10. n. 39.* ed quod etsi Coadjutores non sint Canonici & dignitates propriè habeant tamen omnes præminentias, prærogativas & honores, qui canonicis & dignitatibus con-

ceduntur. Item quia fictione juris sunt Canonici & dignitates

Quæstio 401. An Coadjutor residere possit interessendo divinis, & de servitio in ecclesia; & lucrari fructus principali seu Coadjuto excommunicato?

1. **R**esp. ad primum affirmativè. Barbof. *loc. cit. n. 87.* Castrop. *loc. cit. n. 16.* Garc. *p. 4. c. 5. n. 84.* citantes Leo, *in thes. fori eccl. c. 19. n. 66.* & Rotam *in Coadjutoria Salmant. contra Gonz. gl. 5. §. 9. n. 128.* Rationem dant; quod Coadjutor non serviat nomine Coadjuti, sed proprio & Ecclesiæ; nec præstat ea munia incumbentia præbendæ vel dignitati Coadjuti ex potestate ab eo accepta, sed accepta à Papa, qui illum constituit Coadjutorem, proinde non obstat *regul. jur. 67.* quod alicui suo non licet nomine, neque alieno licebit, nec *regul. 72.* qui facit per alium, est perinde, ac si faceret per seipsum, adeoque sicut à divinis & acquisitione fructuum excluditur excommunicatus, sic etiam qui eum repræsentat, ejusque loco hæc facit. Nam id verum est, si non tantum ejus loco, sed etiam ejus nomine, & in vi potestatis ab eo acceptæ similia exerceat; quia in tantum plus non potest quam ipse principalis. Castropal. *loc. cit.* Illud tamen obstat videtur huic sententiæ, quod pro se offert Gonz. n. 126. & 127. quod sicut procedere non potest Episcopus excommunicatus, ita nec ejus Vicarius; & quod per excommunicationem Episcopi suspensus sit ejus Vicarius, ut tradunt apud Gonz. Maranta *in pr. judiciali p. 4. dist. 5. n. 70.* Guttier. *qq. canon. l. 1. q. 1. n. 83.* & 84. Rebuff. *in concord. tit. de excom. non vitand. gl. 1.*

2. Resp. ad secundum: Quamvis Coadjutor Coadjuto excommunicato lucrari nequeat fructus beneficii aut distributiones residendo & assistendo. Gonz. *loc. cit. n. 125.* Barbof. Castrop. Garc. *ll. cit.* non quidem ob defectum aliquem, quem ipse habet, sed ob incapacitatem & inhabilitatem, quam habet Coadjutor. Castropal. excommunicatus enim sibi neque fructus neque distributiones lucratur, argumento *c. pastoralis. §. verum. de sent. excom. Gonz. n. 223.* Verumtamè si Coadjutori aliquid de fructibus vel distributionibus assignatum est pro congrua seu servitio, ut quandoque fit, id sibi lucrabitur, non obstante excommunicatione coadjuti, quæ illi, & non alteri nocere debet. Barbof. Castrop. *ll. cit.* Garc. *loc. cit. n. 85.*

Quæstio 402. An Coadjutor possit in electionibus, provisionibus aliisque actibus committere vices suas.

Resp. affirmativè Castrop. *loc. cit. n. 35.* citans Garciam *p. 4. c. 5. n. 135.* Etsi enim Coadjutor locum teneat Coadjuti, ejusque personam repræsentet, repræsentat tamen illam nomine Ecclesiæ, & ex potestate ab ea, & non à Coadjuto accepta. Sed neque est procurator coadjuti, sed Ecclesiæ. & esto esset procurator coadjuti; quia tamen esset procurator illius generalis ad beneficii administrationem, & non specialis ad aliquod particulare negotium, potest vices suas committere alteri, juxta *textum c. 1. §. in de procurat. in 6.* ita ferè Castrop.

Quæstio